Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26049
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Dicatur ergo beato iob. Hunquid ingressus es profundum maris. et in nouissimis
abyssi deambulasti. subaudis ut ego. quia mira miscedia in peccatorum
cordibus. in iram. in luxuriam. in auariciam. in surgentem superbiam calco. ac si
aperte diceret. Si latentia cordis uicia me solum reprimere conspicis. tu ex
tolli de propria iustificatione cessabis. Et quia cum diuinitus uisitamur etiam
de occultis et illicitis motibus mentis ad confessionem ducimur. recte subiungitur.
Hunquid aperte sunt tibi porte mortis. Porte enim mortis sunt cogitationes praue.
quas dum pandimus quando eas in penitentia flendo confitemur. quas etiam non confessas.
intuetur. sed confessas ingreditur. Tunc quippe uiam sibi in portis mortis aperit.
quando solutis priuis cogitationibus ad nos per confessionem uenit. Que porte
mortis idcirco uocate sunt. quia profecto uia ad interitum per iniquas semper
cogitationes aperitur. Quod adhuc replicatur cum subditur. Et ostia tenebrosa
uidisti. Tenebrosa namque ostia sunt latentia mentis mala. que et haberi intra
secus possunt. et tamen ab altero uideri non possunt. Que tamen dominus cernit.
quando ea occulto respectu gratie destruit. Scriptum quippe est. Rex qui sedet
in solio iudicii. dissipat omne malum intuitu suo. Et quia omne uicium an
gustat. omnis uero uirtus animum dilatat. per destructa uicia recte subditur.
Hunquid considerasti latitudinem terre. Nisi enim uirtus animum dilataret. ne
quaquam PAVLVS corinthiis diceret. Dilatamini et uos. et nolite iu
gum ducere cum infidelibus. Sollerter uero intuendum est. quod dicitur considerasti. La
titudo namque bonorum interior est. et nequaquam comprehenditur nisi caute
consideretur. Nam plerumque eos exterius inopia humiliat. et pene cruciatus
angustat. sed tamen inter hec semper interior fortitudo usque ad speranda
celestia dilatat. Angustiati apostoli exterius fuerant qui flagella sustine
bant. sed in magna stabant intus latitudine liberi. quia apud se hec ea
dem flagella in gaudium uerterunt. Scriptum namque est. Ibant gaudentes
a conspectu concilii. quomodo digni habiti sunt pro nomine ihesu contumeliam pati.
Hanc latitudinem inter angustias PAVLVS inuenerat cum dicebat.
Scire autem uos uolo fratres. quia que circa me sunt magis ad profectum uenerunt euan
gelii. ita ut uincula mea manifesta fierent in omni pretorio. Hanc la
titudinem dauid inter angustias obtinebat dicens. In tribulatione di
latasti me. Tunc itaque hec terra idem sanctorum conscientia dilatatur. cum mundi